Candido Lectori, S.P.

QVadriennium jam, aut eo amplius est, amice Lector, cùm Londini inter libros agens, & privatas amicorum bibliothecas, varia mecum, quò animum à præsentibus miseriis fortiùs avocarem, quasi in lucem postea producturus, agitabam. Inter ea erat de ortu sermonis tractatus, satis accuratus: cui comitem de verborum usu, ob argumenti affinitatem, diatribam, adjungere statueram. Jam eò rem perduxeram, ut utrique solâ transcriptione, ut typographo traderentur, opus esset. Ita verò contigit, ut absolutâ diatribæ (quæ minor longè) transcriptione, dum in priore illo tractatu occupatur amanuensis, uterque aliud agere, & quod in manibus erat opus omittere, coacti simus. Actum erat de utroque fortasse, (neque enim is ego sum, qui semel omissa libenter in manus resumam:) nisi bibliopola cui spes facta erat majoris operis & lucri, saltem quod erat transcriptum, nec ab altero sic pendebat, ut seorsim prodire non posset, ut id sibi traderetur in-